

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De influxu dogmatis reformatorum de sacra coena in praxin fidei et pietatis, quanto et quali?

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Hochstetter, Gottfried Ulrich**

Tubingae, 1720

[urn:nbn:de:bsz:31-130755](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130755)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

657/23

ANTECESSIO.


 Ui duas illas dissertationes irenicas *de influxu dogmatis de absoluto prædestinationis & reprobationis decreto in praxin fidei & pietatis & de eo quod justum et æquum est circa imputationem consequentiarum theologicarum* in lucem vix edidimus, jam, ut & *de influxu dogmatis Reformatorum de S. Cœna in praxin fidei et pietatis* sententiam nostram promamus, calamum hunc nostrum intingimus. Etsi enim id, quod præcipuum est, sic jam peroraverimus, cùm nemo neget, dogma illud de absoluto homines prædestinandi vel reprobandi decreto ante omnia alia maximâ difficultate laborare Protestantessque à se invicem divellere, res tamen ipsa poscere videtur, ut & ad ea, quæ tantum momentum secum haud vehere existimantur, pedem promoveamus, ubi utique S. Cœna natumque circa eandem opinionum divortium nobis mox occurrit. Quæritur quippe, num error iste, quo præsentia realis & manducatio oralis cor-

A

po-

poris Christi in S. Coenâ negatur, quo & affirmatur, impœnitentes corpus Christi in S. Coenâ haud accipere, sit fundamentalis & perniciosus? Et verò deploranda prorsus res est, quòd de sacramento amoris, quo amorem suum optimus Salvator vel maxime testatum nobis fecit, quo & amor divinus in corda nostra effunditur, quo denique amorem mutuum inter nos invicem accendimus, quòd inquam de sacramento amoris lis inter Christianos agitetur eaque tam acerba, ut, ubi de ideis hîc rectè ordinandis & inflectendis agunt, qui de corde rectè inflectendo & divino ardore armando ante omnia solliciti esse debebant, in odia mutua ferantur monitisque irenicis animi potius irritentur quàm emendentur. At verò, ut existimo, propter eos, qui filii pacis esse nolunt, calamus haud ponendus nec de tabulâ manus tollenda est, idque prorsus conandum, ut, qui sapiunt vel sapere cupiunt, scriptione & solidâ & mansuetâ ædificentur. Agedum, in rem præsentem jam veniamus atque præcipua rerum momenta in nervum constringamus lucemque rebus, quæ tot terminis, quæ tenebris & nocti involutæ sunt, ampliorem adfundamus.

The-

Thesis I.

NUm doctrina de sacramentis in genere fundamentalis sit, à Theologis variè disputatur. Et verò, ubi contra Unitarios potissimùm illi agunt, affirmant utique quæsitum *. Ubi verò contra Reformatos mentem suam explicant, negativam tenent **. Jam & iidem hanc rebus subtilitatem adhibent, ut ajant, *πρῶτον* sacramentorum quidem necessariam esse, etsi doctrina de sacramentis necessaria & fundamentalis non sit ***.

* Evolvamus, si placet, ABR. CALOVII Opera elenctica Anti-Sociniana, P. 2. f. 259. sqq. ubi tractatur quæstio: *Num & in quantum doctrina de sacramentis fundamentum salutis concernat?* & respondetur, utique, doctrinam de sacramentis fundamentalem esse, id quod variis BALTH. MEISNERI rationibus ostenditur. Adde eundem CALOVIUM in system. locorum theologicorum T. XI. p. 58. sqq. ubi quæritur: *Anne controversia de sacramentis quæcunque adeò leves habenda idque conscienter, ut nulla censenda sint exitiosa vel periculum saluti adferre?* Adjici & potest JO. AD. SCHERZERI Colleg. Anti-Socin. disp. 92. ubi p. 806. hæc antithesis catholica habetur: *Sacramenta, uti gratiam Dei & promissiones evangelicas instrumentaliter conferunt & obsignant, ita, errores circa eadem fundamentales & exitiosi sunt.* Denique addi heic potest J. A. QUENSTEDIUS

Theol. didactico-polemicæ P. IV. C. 5. sect. 2. Quæst. 10. f. 117. (qq. Etenim, licet sacramentorum absoluta non sit necessitas, hypothetica tamen ea est tum præcepti tum mediæ, ita, ut eorum non privatio sed contemptus damnet eaque sint necessaria, ubi haberi possunt. Sine sacramentis autem multos salvatos fuisse & adhuc sine iis extra ordinem salvari cæteris paribus eos posse, qui nullâ suâ culpâ iis privantur, nullum est dubium.

** NICOLAUS profectò HUNNIUS firmiter ita se argumentari existimat: *Quod dogma 1. non est causa fidei, 2. neque omni tempore hominibus in hunc finem propositum, ut fidem inde concipiant, 3. à pluribus prorsus fuit ignoratum sine fidei detrimento, id non est fundamentale sive totum fundamentum constituens, sive illud essentialiter ingrediens. Doctrina de sacramentis est tale dogma. Ergò doctrina de sacramentis non est fundamentalis. Vide Theologi celebratissimi didactico-polemicæ theologicæ de fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ - Lutheranæ & Calvinianæ seu Reformatæ n. 311. Addit idem n. 449. Quantumvis sanam doctrinam de sacramentis negans grave peccatum morale incurrat, Deum offendat, semet ipsum FIDE PRIVET, præsertim, quòd claram Dei ordinationem non admittat, veritatem instituentis ambiguam reddat, homines privet efficace medio, quo Deus ipsorum salutem operatur, attamen, quia is fiducia in promissiones divinas nihil detrahit neque obstaculum ponit, quò minus Dei gratiam per Christum mihi polliceri possim, certè neque negatio officii Prophetici fidei fundamento exitium adfert. Est ergò hæc HUNNII sententia, fallam de sacramentis doctrinam fundamentum quidem fidei non evertere, etsi ipsam fidem evertere possit & evertat.*

Ac-

Accedat JO. HULSEMANNUS, qui in disp. i. de dogm. ad salutem creditu necessariis p. 477. ait, *necessarium in Ecclesiâ esse sacramentorum usum, ita tamen, ut magis necessaria sit eorum usurpatio, quàm notitia definitionis inter præcognita fidei.* Addit tamen idem p. 479. *doctrinam de institutione & usu sacramentorum, etsi sine salutis dispendio ignorari possit, negari tamen nunquàm posse, quia per negationem medii ordinarii & adequati effectum ordinarium negari manifestum sit.* Denique & sententiam suam dicat JO. MEISNERUS. Is verò ita de articulis fidei fundamentalibus sect. 7. n. 6. p. 1090. *Sacramenta absolutè ad fidem & salutem necessaria non sunt. Nam multi olim salvati fuerunt in veteri ac novo Testamento & hodiè adhuc fortè salvantur, qui de iis nunquàm audiverunt, unde & de adhibendis illis solliciti esse nequiverunt, & alia media in promptu sunt, quibus Deus fidem in animis hominum excitare ac conservare potest. Sufficit ergò, si nemo, qui mentis compos est, petulanter ea rejiciat & contemnat. Quanta autem sacramentorum ipsorum necessitas est, tanta quoque sine omni dubio doctrina de illis, institutione nimirum, efficacità, modo operationis, sine & effectu necessitas fuerit, ut non omnes homines absolutè ad salutem consequendam, sed catechumeni, adulti & illi demùm, qui sacramentis legitime & cum fructu salutari uti velint, ea cognita habeant. Et, si vel maxime ista quoque nescirent per ignorantiam simplicem & moraliter insuperabilem, non tamen propterea aut effectu sacramenti salutari prorsus carere aut salute excidere putàrim, dummodo mediis illis à Deo institutis utantur. Cujus rei exemplum in Naamane Syro occurrit, qui, cum undas Jordanis præ Damasci aquis minùs salubres ac inefficaces ad medendum lepræ judicaret,*

jussu tamen Propheta in Jordane ablutus convaluit, 2. Reg. V. 2. sqq. & n. 7. p. 1090. 1091. Si quis tamen efficaciam illam non tantum ignoret sed neget quoque, & aliam, verbo Dei minus congruam, substituat, rectius sentientes damnet, oppugnet ac hostiliter impetat, is procul dubio lethaliter peccat, & si in eo sine penitentiâ perseverat, æternum moriturus est, non quod fundamentum fiducia dogmaticum à priori & directè neget aut tollat, sed quia media illa, qua suo modo ad fundamentum pertinent, quantum in ipso est, efficaciam suam spoliât, veritati divinitus præfata contumaciter contradicit & Deum ipsum mendacii arguit. Idem MEISNERUS in Irenico Durziano sect. 2. n. CVII. p. 139. Nec Christus ipse ratione essentia & persona sua sed nec sacramenta nec agenda seu lex & opera moralia & quicquid denique in praxi consistit aut ad praxin tendit, ad fundamentum fidei pertinet. Adde n. CCLXXIII. p. 224. 225. & n. CCLXXVIII. sqq. p. 227. sqq. ubi inter alia: hereseos tamen notam, si propriè hanc vocem capiamus, ignorantibus aut oppugnantibus sacramenta inurere vix licebit. Doctrina enim de sacramentis earumque naturâ & efficaciam ad dogmaticum fidei salvifica fundamentum non pertinet, nec ad fiduciam in Christum excitandam aut fidem ingenerandam quicquam facit, ut credam videlicet, Deum mihi velle esse propitium propter Christi meritum pro me præstitum. Ipsa quidem sacramenta præcticè, hoc est, cum debito modo usurpantur, fidem efficiunt, doctrina tamen de sacramentis id non præstat sed unice propter praxin adhibenda est, ut eâ præcunte hæc rectè instituantur. Et sicut sacramenta ad facienda pertinent, non ad credenda, qua credi à nobis & certâ fiduciâ apprehendi debent tanquam materia, ex quâ fides de misericordiâ Dei & remissione peccatorum hauriatur, ita do-

Etri-

Trina quoque circa ea versatur, qua Deus à nobis adhiberi vult, & intellectum de iis rebus informat, qua tanquam media à Deo instituta factu necessaria sunt, ad id, ut inde fidem & hanc mediante salutem consequi liceat. Verbo: sacramenta sunt actiones scitu factuque necessaria, ut fidei habitus inde sequatur, non dogmata seu objecta, ex quibus materialiter fides generetur. Haftenus MEISNER US.

**** Ita NIC. HUNNIUS libro citato n. 310. Alia ratio est Inveias versantis circa sacramenta, alia verò negat. Sacramentorum, in specie baptismi, ea est necessitas, ut Christus juro neget, quenquam ingressurum regnum Dei, nisi ex aqua & spiritu fuerit regeneratus. Joh. III. 5. Quemadmodum igitur verbum necessarium est, ut, nisi audiatur, nemo adultus fidem concipiat, sic quoque sacramentum baptismi. Sed hoc ad praxin pertinet atque refertur inter facienda, qua ab hoc nostro instituto jam remota fuerunt. Ut autem is, qui verbum audit, sed nihil audivit de verbi virtute & efficaciam, nihil de modo & medio revelationis, prædicationis, de necessitate auditus verbi & nihilominus fidem concipit & salvatur non obstante ista ignorantia: sic, qui infans baptismi salutariter utitur, licet nihil prorsus de baptismi institutione, substantialibus, fructu & operatione audiverit, fidem & salutem ex baptismatis fonte haurit. Et n. 311. Dogma de sacramentis fidem non causatur. Non quidem negatur (ut neque negari potest,) quod ipsa sacramenta aut fidem generent, aut generatam confirment, negatur verò, dogma de sacramentis fidem causari, cujus hac est ratio, quia fuit fides salva, priusquam sacramenta instituerentur, & crediderunt salutariter, qui post sacramentorum institutionem de illis tamen non fuerunt infor-*

informati. Et denique n. 462. *Sacramenta sunt organa fidei conferenda, sic comparata, ut, qui sinistrè de illis sentit, non protinùs virtutem illis adimat neque falsa de illis docendo efficiat, ut in Christum credere & peccatorum remissionem à Deo mihi polliceri nequeam. Propterea sacramenta in praxi necessaria sunt, ut, qui illa non usurpat, aut in substantialibus corrumpit, ratione hujus $\pi\alpha\delta\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$ versetur in salutis periculo. In theoriâ autem, quantumvis erronea de illis, (qua fidei non aliter, ac cætera moralia peccata obstant,) quis statuerit, nihilominùs fiducia de remissione peccatorum integra esse potest, ut hætenùs fundamentum fidei non evertatur.* Hæc HUNNIUS. JO. HULSEMANNUS in diff. cit. p. 416. & 425. eadem ferè habet. Denique idem MEISNERUS in appendice examinis catechismi Palatini sect. 7. n. 6. p. 1090. 1091. eandem tibiam inflat. Adde Irenicum Durzanum sect. 2. de fund. fidei n. CCLXXIII. sqq. p. 224. sqq. Scilicet benè notandum est, & Theologos, quando de fundamento fidei loquuntur, fidem non in toto suo complexu sed secundùm communem saltem definitionem & prout eam in justificatione considerant, inadæquatam scilicet illam * spectare, & atque capropter practica, quæ fidem demùm sequuntur, è numero articulorum fundamentalium prorsus tollere solaque theoretica fundamentalia esse affirmare, **

i his

* Quænam fidei adæquata sit definitio, tum in institutionibus theologicis tum in dissertatione nuperâ de fide justificante, sanctificante & salvante, tum in libellis nostris asceticis Germanicis luculenter extulimus.

** Juxta nostram fidei definitionem & juxta nostrum $\pi\alpha\delta\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$ regnum practica vel maximè ad fundamentum fidei h. e. ad præcipua & primaria fidei capita pertinent.

In his positis, quoque existimare, fidem subverti posse, fundamento fidei haud everlo sed manente. *** Ita per peccatum mortale fides excutitur, etsi in fundamento fidei quis non erret. ¶ eisdem non negare necessitatem summam *med-
 xios* Christianæ, etsi haud existiment, eam ad fundamentum fidei pertinere. ¶ eisdem porrò distinguere inter doctrinam, quæ fidem gignit & conservat, adeoque fundamentum fidei est, & inter medium fidei gignendæ & conservandæ. Ad posterius pertinent juxta eos sacramenta, non ad prius. ¶ eisdem denique, si per errorem fundamentalem eum designes, qui fidem destruere possit vel actu destruat, omninò existimare, errores circa doctrinam de sacramentis fundamentales dari, etsi fundamentum fidei, hoc est, doctrinas illas, ex quibus fiducia in Christum Salvatorem oritur, non destruant. Unde &, qui circa sacramenta errant, ipsis hæretici non sunt, quia circa fundamentum fidei non errant, etsi capitaliter errent. Quo fit, ut hæreticorum numerum, quicquid etiam in contrarium hîc disposuerit pia antiquitas, quicquid etiam hîc somnient moderni hæretifices, quorum omnia plena sunt, valdè iidem minuant. Vide JO. MEISNERI Irenicum Durzanum Sect. 2. n. CCLXXXV. p. 231. Ex quibus omnibus patet, nullam esse inter Theologos contradictionem, ubi mox ajunt, errores de sacramentis fundamentales esse, mox verò id negant. Eviscera saltem, si placet, vocem & res statim clarescet. Ita &, ubi mox affirmant, doctrinam de sacramentis ad *fundamentum fidei* pertinere, mox negant, vocem & hanc diversimodè accipiunt. Vel enim *fundamentum fidei* est do-
B
tri-

*** Hoc juxta nostram fidei definitionem eamque Biblicam contradictionem implicat.

doctrina fiduciam in Christum causans vel conservans vel medium, quo fides accenditur vel servatur. Si prius, doctrina de sacramentis juxta eos non erit fundamentalis, si posterius, erit fundamentalis.

Thesis II.

Nil certius est, quàm eos, qui circa sacramenta erroneas sententias fovent, ubi aliter & melius de re ipsâ persuasi sunt, capitaliter errare *. Qui verò circa eadem, imò & circa eorundem substantiam & efficaciam *bonâ fide* errant, haud capitaliter errant nec è statu gratiæ excidunt **. Unde & doctrina de sacramentis juxta nostram definitionem nobis fundamentalis haud est ***.

* Sunt enim sacramenta media gratiæ ad fidem conferendam & conservandam à Christo instituta. Quid quòd sine peccato mortali verbo divino nunquam oblectari quis malitiosè potest, etiam in rebus, quæ fundamentum fidei prorsus non tangunt?

** Scilicet, quando Theologi nostri ajunt, errores de sacramentis fidem subruere, id de erroribus intelligunt ex pravâ voluntatis verbo divino malitiosè contradicentis dispositione manantibus, non aliis.

*** Id enim nobis error fundamentalis est, qui fidem actu destruit. Jam verò nemo Theologorum dixerit, errores eorum, qui circa sacramenta bonâ fide errant, fidem in ipsis necessariò destruere, quia sic dicendum ipsis esset, neminem inter Reformatos salvari posse. Res itaque jam patet. Quem-
ad-

admodum enim non defectus sed contemptus sacramentorum damnat, ita nec error circa sacramenta nisi voluntarius & malitiosus damnat, ut taceamus, sacramenta (id quod omnes Theologi fatentur,) absolutæ necessitatis haud esse. Hinc, si etiam, quod cum Formulâ Concordiæ p. 734. magna Theologorum pars tenet, Reformati nullam cœnam sacram habent, tamen fons salutis apud eos nondum obstructus esset.

Thesis III.

Quod de erroribus circa sacramenta in genere dicitur, id de erroribus circa S. cœnam vel maximè dici debet*, cùm sacra cœna tam necessaria, uti baptismus, omnibus fatentibus, haud sit.

* Exceptionem tamen hæc thesis patitur quoad errores Romanensium de S. cœnâ, qui sacrilegium, qui idololatriam sapiunt aliasque veritates divinas jugulant.

Thesis IV.

Qui veritatem verborum institutionis S. Cœnæ vel in minimis saltem suggillat, qui Christo ea proloquente haud credit, qui contra conscientiam in perversum sensum eadem detorquet, qui malitiosâ mente ductus rem in signa mutat, qui bonis novi Testamenti fideles, quantum in se est, privat, qui testamentum Salvatoris nostri corrumpit & in-

vertit, anathema esto. Jam verò Reformatos veritatem verborum institutionis haud inficiari nec ullam, quam in iis exstare credunt, positionem in dubium vocare, clarum est. * Tota lis inter nos & ipsos est exegetica, quisnam eorum sit sensus, quo semel posito nemo est, qui non, perversâ ratione filere iussâ, veritatem, quam se tenere putat, illicò amplectatur. **

* Hinc Reformatis objici nequit, quòd Deo per verba institutionis loquenti credere nolint eumque mendacem reddant.

** En quid judiciosè & eleganter hîc ajat SAMUEL WERENFELSIUS, Theologus Basiliensis celeberrimus: *Principio monendum est, (quod monere supervacaneum esset, si non nisi aequi homines de religione disputarent, veruntamen quando qui de rebus divinis cum aliis concertant, non semper omnium sint aequissimi,) monendum est, non agi hîc de veritate verborum Domini sed de sensu eorum, neque in disceptationem venire, sine verum, quod Salvator noster dixerit, sed quid sit illud, quod dixit. Anathema sit, qui sensum verborum Domini intelligens vel momento de eorum veritate dubitat. Anathema sit, qui verba illius idcò, quoniam difficilia sibi creditu videntur, in sensum alienum detorquere nititur. Nihil tam incomprehensibile est, quod non parati sumus credere, simulac nobis constiterit, Christum, qui veritas est, id dixisse. Quod si qui sunt, qui agrè ferunt, quòd sensum verborum Domini rejicimus: sciamus, unicam hujus rei causam esse, quòd firmiter persuasi sumus, sensum eorum non esse sensum Christi. Haecenus WERENFELSIUS in disc. in verba Domini: hoc est corpus meum &c. C. I. paulò post initium.*

Theſis V.

Quòd Reformati præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in ſacrâ cœnâ negant eamque verbis institutionis contrariam eſſe aſſerunt, non ex malitioſo quodam affectu, quo in Dei verbum involare cupiunt, fit, ſed eapropter, quòd credunt, ex præſentiâ iſtâ manare absurda, contradictoria, Deo indigniſſima & quæ religionem Chriſtianam ſuſpectam hominibus reddere poſſint*, quòd credunt porrò, interpretationem ſuam genio & indoli linguæ ſanctæ ſenſuique communi congruam eſſe, id quod de noſtrâ ſententiâ dici haud poſſit. Putant itaque, ſe peccaturos, ſi aliam ſibi mentem hîc induerent.

* Has tamen conſequentias certè ſapientiores nobis vix amplius imputaverint, non ſolùm, quoniam eas haud agnoſcimus, ſed etiam, quòd ex ſententiâ noſtrâ nonniſi malè intellectâ profluunt.

Theſis VI.

Nemo noſtrùm eſt, qui non exiſtimaverit, graviſſimè illum hallucinaturum eſſe, qui proprietatem literæ eouſque urgere haud dubitaverit, ut præſentiam Corporis Chriſti in ſacrâ Cœnâ localem,

B 3

phy-

physicam, naturalem, definitivam *, carnalem, cras-
 sam & Capernaiticam manducationemque itidem
 naturalem statuerit. Et quid est, quæso, quod illi ob-
 verteremus? Diceremus, hujusmodi sententiam con-
 tra testimonium sensuum, contra sensum commu-
 nem, contra sanam rationem vergere & corpore
 Christi indignam esse, manducationem hujusmodi
 maximum peccatum, maximum horrorem secum
 vecturam, & quæ alia sunt. Et verò ejusmodi præ-
 sentiam nos credere Reformati putant, qui aliàs eam
 rejecturi non essent. Itaque nolimus, nolimus eos ac-
 cusare, ac si malitiosè heic in verba institutionis invo-
 larent, rationi suæ pravæ dominium in res fidei per-
 mitterent & dona Novi Testamenti fidelibus eripe-
 rent. Certè, qui naturalem & carnalem Corporis
 Christi in Eucharistiâ præsentiam, quam omnes &
 optimo quidem jure uno ore rejicimus, statueret, eis-
 dem, quibus nos contra Reformatos pugnamus, armis
 contra dissentientes agere iisdemque errorem heic
 fundamentalem itidem impingere ac ad propieta-
 tem literæ majori jure, ac nos, provocare posset **.
 Nos enim proprietati literæ non *in totum*, sed sal-
 tem *in tantum* insistere, res ipsa loquitur & clamat.
 Imò

Imò ne quidem Romanenses, licet transsubstantiationem statuunt, proprietati literæ insistant, nec ullus est vel fuit unquam in toto mundo hæreticus, qui naturalem corporis Christi in sacrâ Cœnâ præsentiam & manducationem crediderit & proprietatem literæ eousque urserit. Ratio, QUIA CONTRA EJUSMODI SENTENTIAM SANA RATIO ET SENSUS COMMUNIS, quem utique religio exulare heic haud jubet, RECALCITRAT.

* Hinc dici utique certo modo potest, *corpus Christi tantum abesse à nobis, quantum cælum distat à terrâ*, præsentia nempe naturali, definitivâ & visibili, id quod omnes largiuntur. Ast simpliciter positam *φράσιν* istam Formula concordia p. 726. & quidem rectè improbat.

** Qui enim proprietatem literæ *ex toto* heic sequi cupit, is statuere necessum habet, in S. Cœnâ corpus Christi naturale & visibile absque pane physicè adesse & ore corporis naturaliter manducari. Atqui hoc statuere longè absurdissimum est.

Thesis VII.

Non est, non est, quòd hîc prolixius urgeamus id, quod dudum diximus, litem de præsentia corporis Christi Eucharisticâ inter nos & Reformatos in nudam *λογμαχίαν* abire, cum tum in dissertatione
fe-

secundâ Anti - Bælianâ, tùm in institutionibus nostris, tùm in scriptis nostris irenicis mentem nostram satis extulerimus. Eja, rem in compendium fusam tantisper saltem repetamus. Præsentia Christi in S. Cœnâ est vel naturalis, ad quam & *definitiva* * spectat, vel miraculosa **, vel sacramentalis ***, vel merè spiritualis ****. Quarta non datur. Jam naturalem adeoque & definitivam, miraculosam & merè spiritualem & Reformati & nos proscribimus. Symbolicam omnes admittimus. Quid itaque litis amplius superest? Non est, quòd dicas, nos tamen existimare, quòd corpus Christi pani & vino *indistanter* præsens sit & cum eo quoad substantiam suam verè exhibeatur & manducetur, id quod Reformati negent atque ita pretiosissimo novi Testamenti bono, quod fidelibus in S. Cœnâ exhibeatur, eos privent. Indistantia enim illa & *à distans*, cum, nostris omnibus fatentibus, non sit physica, naturalis, circumscriptiva, definitiva, carnalis & Capernaitica, sed sacramentalis & spiritualis & symbolica & cœlestis & divina, cum & manducatio illa non sit naturalis carnalis, crassa & physica, sed symbolica & spiritualis, cum & man-

du-

ducatione, quæ oris organo fit & immediatè *****,
 omnibus fatentibus, saltem panem spectat, corpus
 Christi spiritualiter *****, uti Formula Concordiæ
 ait, comedamus, non est, quòd ampliùs disputemus.
 Scilicet, (id quod nemo inficiatur) substantiam cor-
 poris Christi in Eucharistiâ non naturali nec carnali
 & crasso sed symbolico sed divino sed cœlesti mo-
 do præsentem *spiritualiter* accipimus, (qui *modus*
 manducationis est, à Formulâ Concordiæ determi-
 natus,) sed *ore* tamen *corporis* accipimus, (quod
 manducationis organum est,) quoniam *ore corporis*
 panem accipimus, quo mediante substantiam cor-
 poris Christi sacramentaliter spiritualiterque mandu-
 camus. In hæc utramque dissentientium partem
 consentire quivis adfirmaverit, qui saltem terminos
 intelligit & rem penetrat *****. Itaque ergò re-
 petitâ vice quærimus, quid litis adhuc superfit? Si verò
 lis hæc in *λογομαχίαν* abit, patet, dogma Reformatorem
 de S. Cœnâ nullum pravum in praxin fidei & pietatis
 influxum habere, nisi in propria viscera labi velimus.

* Præsentia corporum *circumscriptiva* est, spirituum *definitiva*,
 Dei *repletiva*. Ita Scholastici, qui subinde pro ideis, qui-
 bus ob imbellicitatem intellectûs nostri caremus, queis tamen
 gauderemus, si major intellectûs nostri lux esset, terminos
 ponunt.

C

** Hæc

** Hæc in sensus incurrit & naturalis est, etsi præter ordinem naturæ corpus huc translatum sit aut novis quoque qualitatibus vestitum conspiciatur.

*** five symbolica, ubi res per symbola divinitus ordinata mihi præsens redditur. Nota benè, præsentiam hanc non esse saltem imaginariam vel intentionalem, sed realem, sed veram, sed exhibitivam, licet non physicè exhibitivam.

**** Hæc illa est, ubi res sine symbolis præsens menti meæ redditur, quæ è terrenis ad divina per fidem sese elevat.

***** Vide celeberrimi WERNSDORFII vindicias sententiæ orthodoxæ: quòd dissensus inter socios A. C. & Reformatos in art. de Cœnâ sit fundamentalis, disp. 1. §. 19. *E 2 4* in fine.

***** Tò *spiritualiter* hinc non opponitur *τῷ corporaliter* (Christus enim in sacrâ Cœnâ utique hæcenus *corporaliter* adest, quia Corpus ipsius adest,) sed *τῷ naturaliter & carnaliter*, nec idem dicit, quod *salutariter*, sed æquipollet *τῷ sacramentaliter & τῷ symbolicè*. Vide omninò Formulam Concordiæ p. 728. 729. 752. sqq. maximè p. 755. 756. ubi hæc habentur: *corpus & sanguinem Christi in S. Cœnâ spiritualiter accipi, edi & bibi. Tametsi enim participatio illa ore* (quod est organum, quo, mediantibus symbolis, corpus & sanguis Christi spiritualiter accipiuntur,) *fiat, TAMEN MODUS SPIRITUALIS EST.*

***** Itaque cadunt omnia illa argumenta, quibus dicitur, Reformatos præsentiam realem manducationemque oralem
reçtè

rectè intellectas negare, testamentum Christi destruere, imò Novum Testamentum, quod sit poculum eucharisticum, evertere, cœlestem sacramenti Eucharistici materiam tollere atque sic reos fieri corporis & sanguinis Domini, corpus & sanguinem Domini non rectè discernere atque iudicium sibi manducare & bibere, remissionemque peccatorum sic heic non accipere, cùm postrema hæc manducationi & bibitioni orali, quam Reformati negent, superstructa esse debeant.

Thesis VIII.

OMnia illa argumenta, quæ non saltem præsentiam realem corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ inferunt sed & præsentiam eorundem physicam, localem, circumscriptivam & visibilem eadem ratione inferunt, cùm nulla sint & suâ sponte in fumos abeant, in hunc finem urgenda haud sunt, ut momentum controversiæ hujus extollatur*.

* Huc pertinet argumentum illud, quo litera (non sensus literalis, qui sanè & improprius figuratusque esse potest,) urgetur. Huc pertinet & syllogismus ille: *Quodcunque corpus pro nobis traditum est, quicunque sanguis pro nobis effusus est, illud corpus à nobis in S. Cœnâ manducatur, ille sanguis ibi bibitur. Atqui corpus naturale Christi, atque ejusdem sanguis naturalis &c.* Jam, ut raceam, argumentum hoc nimium probare, constat, manducationem illam & bibitionem juxta Formulam Concordiæ *spiritualiter* fieri, id quod Reformati largiuntur.

The-

Thesis IX.

Non sequitur, si transsubstantiatio fundamentum fidei tollat, (quod tamen ipsum, si in se illa spectetur, haud liquet,) ut & figura Reformato- rum id tollat *. Imò nec hoc sequitur, si error hic fundamentalis sit, quo Romana Ecclesia sacramentum Eucharistiæ mutilat & calice eos, qui non consecrant, privat, (id quod rursus non liquet,) ut Reformato- rum dogma, quo materiam sacramenti Eucharistici cœlestem penitùs tollere dicuntur, fundamentum fidei jugulet.

* Ratio est, quia transsubstantiationis sequelæ perniciosiores sunt, quàm figuræ, etiam nudæ.

** Ratio est, quia error Romanæ Ecclesiæ evidentissimè verbis institutionis contradicit, ast lis illa inter nos & Reformatos de præsentia reali Eucharistica multis dubiis, multis tenebris, multis difficultatibus involvitur.

Thesis X.

Cum Reformati panem & vinum nuda signa esse haud existiment sed exhibitiva illa esse ajant & collativa *, patet, eos fontem solatii è S. Cœnâ manentem haud obstruere.

* Pla-

* Placet hinc audire S. AM. WERENFELSIUM, Theologum Basiliensem celeberrimum. Ita autem ille: *Ut clarius intelligatur natura signorum à Christo hic institutorum, distinguenda sunt signa. Sunt signa, quæ quidem rem significant, sed quorum traditio non significat traditionem rei, v. g. si quis mihi tradit delineationem urbis alicujus, hoc ipso non significat, se urbem quoque ipsam tradere. Sunt deinde signa, quorum traditione significatur traditio ipsius rei signata: ut cum Principi urbem obsidenti claves ejus à Proceribus traduntur: aut cum ab iis, qui jus habent eligendi Regem, alicui ex Proceribus solemniter traditur sceptrum & corona. Panis & vinum in S. Cœnâ sunt symbola posterioris generis. Addit idem: Verba Christi eam habent significationem, quam haberent verba Procerum civitatis alicujus, qui Regem urbem obsidentem, sese dedentes atque in hunc finem claves urbis porrigentes, ita alloquerentur: Accipe, Rex, hoc est dominium in civitatem nostram, quod tibi à civibus traditur: aut si Principi à Proceribus regni alicujus solemniter porrigeretur sceptrum & corona his verbis: Accipe, hoc est regnum, quod tibi ab ordinibus confertur. , Hæc WERENFELSIUS in diss. in verba Domini hoc est corpus meum C. 2. in medio. Itaque ergo signis eucharisticis juxta Reformatos traditur ipsum corpus, ipse sanguis Christi, spiritualiter manducandum illud, spiritualiter bibendus hic. Jam & cum mediantibus pane & vino, quæ ore corporis accipiuntur, corpus & sanguis Christi spiritualiter accipiantur & eatenus quoque, non quidem immediatè sic sed mediatè ore corporis accipi dici possint, nec absentia sint nisi physicè, localiter, circumscriptivè, aut præsentia symbolicè, spirituali, cœlesti & divino modo, quæ omnia & nostram sententiam plenam exprimunt & à Reformatis haud negantur, solatium è S. Cœnâ manans & apud Reformatos sartum tectumque manet.*

Theſis XI.

Non eſt error fundamentalis, quòd dicunt Reformati indignos corpus & ſanguinem Chriſti in S. Cœnâ *haud* accipere. Certè enim, quî fidem meam hoc deſtruere poſſit, ſi, qui dignè ſacramentum accipio, credam, indignos corpus & ſanguinem Domini in ſacrâ cœnâ *haud* accipere, planè comprehendi nequit. Jam & Reformati id ſaltem volunt, indignos corpus & ſanguinem Chriſti in S. Cœnâ *ore fidei* non accipere, id quod & nos lubentiſſimè largimur. Sed de hâc quidem quaſtione alibi ſententiam noſtram extulimus*.

* Confer hîc omninò inſtitutiones noſtras P. 3. Sect. 3. p. 759. 760.

Theſis XII.

Mirum eſt argumentum, quod alicubi legiſſe nos meminimus & quod pernicioſum utique dogmatis Reſinatorum de S. Cœnâ in praxin Chriſtianam influxum infert. „ *Fides, qua vincit mundum, credit, Jeſum Chriſtum ad nos venire per aquam*

aquam & sanguinem *. Et quidem notanter repetit Apostolus, *non per aquam solummodò sed per aquam et sanguinem* **. Quemadmodum ergò vera & naturalis aqua intelligitur, ita & verus & naturalis sanguis Domini. Quisquis itaque non credit, verum & naturalem sanguinem Christi esse in S. Coenâ, ejus fides mundum non vincit. ,, Etenim I. nullibi dicitur, fidem illam mundum non vincere, quæ non ajat, Christum venire ad nos per sanguinem in sacrâ coenâ. II. Quî apodicticè demonstrari possit, locum hunc de sacrâ coenâ intelligendum esse, non videmus. III. Nemo Reformatus diffitetur, sanguinem Christi naturalem in S. Coenâ spiritualiter bibi, naturaliter verò eum ibi bibi & nostri omnes inficiantur.

* 1. Joh. V. 4. 5.

** CORN. 6.

CORONIS.

Quod restat, ut probemus, praxin fidei & pietatis haudquaquàm evanescere, etiamsi præsentiam corporis & sanguinis Christi realem in S. Coenâ negaveris, non est, quòd vel dicamus, sufficere, ut cre-

credas, quòd corpus & sanguis Christi extra sacram
 coenam exstantes ad nos pertineant, fidemque hoc
 nostram satis roborare, vel provocemus ad effatum
 illud Salvatoris: *Spiritus est, qui vivificat, caro non
 prodest quicquam* *. Hic enim non de carne Christi,
 quæ vivifica est, sed de carnalibus rationis perversæ
 præjudiciis, quæ Spiritui contradicunt, sermonem
 esse Theologi existimant **. Et sic calamum hîc po-
 nimus.

* Joh. VI. 63.

** Alii de carne Christi extra statum unionis spectatâ vel de
 carne Christi naturaliter comestâ verba hæc explicant.



Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katherina

St. Margarethe

St. Elisabeth

St. Anna

St. Mariae Hülfe

St. Wendelin

St. Vitus

St. Modestus

St. Gallus

St. Zeno

St. Apollonia

St. Helena

St. Theresia

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

I, A

